



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis
Eivsdem In tres Tomos distinctis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

27. De Dispensatione matrimonij cum Occidentali ecclesia quæstio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)

in sua ordinatione formam consecrationis eucharistiae proferunt, & omnes referunt intentione sua ad instans quo terminatur prolatio formae consecrationis Eucharistiae ab episcopo. Hoc. n. non est intelligendum, quod fiat ex vi intentionis nouorum sacerdotum, quasi ipsi possint suspendere effectum verborum in aliud tempus, hoc. n. non minus possent perfecti sacerdotes. Sed quia sic fit in ecclesia a spiritu sancto gubernata, ut oium consecratio efficax inueniri possit, humana ratio tentauit suadere, ad huc non persuasit, sed in captiuitate ducto intellectu actus fit. Et haec sufficiant. Pisis, Die 20. Nouemb. 1509.

TRACTATUS VIGESIMVSSEPTIMVS,
de Dispensatione Matrimonii in Occidentali ecclesia, quaestione vnica contentus.

QVAESTIO I.

Verum summus Pontifex possit dispensare cum sacerdote occidentalis ecclesiae, ut accipiat uxorem.



Veritur vtrum summus pont. possit dispensare cum sacerdote Occidentalis ecclesiae, ut accipiat uxorem.

Videtur enim quod non. Primo, quia traditum alteri non potest absque iniuria ab eo tolli: sed corpus sacerdotis occidentalis traditum est diuinis obsequiis in castitate, ergo, &c. praeterea, secundum S. Tho. in 2.2. q. 88. art. 2. dicitur, quod summus Pontif. non potest dispensare religiosum ad contractum matrimonii: ergo nec sacerdotem.

In oppositum est, quia castitas annexa est ordini sacerdotali ex statuto ecclesiae, ergo per eam potest tolli.

In hac quaestione iuxta tria, quae apparet in sacerdote Occidentali, discutienda sunt tria, vt plenius satisfiat, & cuiusdam reuerendissimi domini Cardinalis votis, & Parisiis nuper exorta quaestio clarius appareat.

Videndum est igitur primo de sacerdotio absolute, quomodo se habeat ad matrimonium: secundo de annexo voto continentiae: tertio de statuto ecclesiae. Ex his enim, & non aliunde impediti contingit sacerdotem a matrimonio.

Quo ad primum ergo duo dicuntur: Alterum affirmatiuum, scilicet quod sacerdotium impedit matrimonium contrahendum: alterum negatiuum, scilicet quod non dirimit contractum. Et primum quidem intelligendum est de congruo, quoniam nec ratione, nec autoritate probatur, quod absolute loquendo, sacerdos peccet contrahendo matrimonium, quin potius & ratio ad oppositum ducit: quoniam, ut patet in trigesima septima distinctio. 4. sentent. nec ordo in quantum ordo, nec ordo sacer in quantum sacer est impeditiuus matrimonii: & in ecclesia occidentali olim diaconi poterant contrahere matrimonia, ut dicitur e. diaconi. dist. 18. Manifeste quoque in 31. dist. in canone, alter dicitur, quod Orientales in sacramentis constituti copulantur matrimoniis. Nec admittenda est glossa exponens, copulantur; id est, copulato utuntur, quoniam manifeste series textus de contractu matrimonii loquitur, ut confirmat etiam aduersaria subiuncta, scilicet quod Occidentales non fortiuntur coniugia, & cetera.

Secundum vero distinctum intelligendum est, quod non dirimit matrimonium contractum sine ante, siue post: hoc (ut dixi) seclusis omnibus legibus ecclesiasticis, stando

A tantum in his, quae a Christo & Apostolis habemus. et confirmatur vltimo vtrunque horum ratione. Si ordo sacerdotalis ex natura sua impediret matrimonium contrahendum (ita quod contrahere esset peccatum) aut dirimeret contractum, sequeretur quod in nullo casu quantacunque necessitatis, aut utilitatis per ecclesiam militantem posset dispensari cum aliquo sacerdote, quod contraheret matrimonium. Hoc consequens est & contra Theologos, & contra Canonistas & contra auctoritatem, qua de facto videtur Rom. ecclesia. Consequentia autem manifeste patet ex exercitatis in Philosophia saltem rationali: quoniam quod est secundum se prauum, nulla ratione potest fieri licitum. Haec de primo:

B Quo ad secundum, duo discutienda occurrunt: Alterum est, an secundum veritatem sacerdos voueat castitatem: alterum est de efficacia illius voti. Quidam putant sacerdotes Occidentales in hoc differre a religiosis, quo ad debitum seruandi continentiam, quod religiosi astringuntur voto solenni: sacerdotes autem non voto, sed statuto ecclesiae. Verum hi manifeste errant; quoniam expresse mandatur episcopis, quod neminem ordinent, nisi voueat castitatem, ut patet dist. 28. in cap. nullum. ex quo formatur talis ratio, Aut omnes episcopi Occidentales sunt transgressores praecipii apostolici, aut non. Non est dicendum primum, cum constet multos esse viros timoratos & sanctos nec reprehendi se a conscientijs proprijs, quod in actu ordinandi sint transgressores huius praecipii, ergo obseruant hoc praecipium, ergo sciipietes ordines sacros intelliguntur vouere castitatem ipso facto, non verbo, sed facto suscipientes ordinem sacrum Occidentali ritu. Nec potest Scotus, Durandus, & Petrus de Pal. his aduersari, eo quod dicit, quod non potest quacunque ecclesiastica auctoritate annexi votum ex facto extrinseco, quia votum est actus voluntatis intrinsecus & liber. Stat. n. haec simul cum predictis, quia ex antedictis habet, quod suscipientes ordines sacros absque peccato fictionis vouent castitatem. ex hoc autem habetur, quod absolute loquendo potest suscipere ordinem sacrum absque voto castitatis, quia voluntas non compellitur, sed tamen (ut dictum est) cum peccato, fictionis, mentiuntur enim facto profitentes se vouere, & interiori actu oppositum intendentes.

D De efficacia autem solennis voti, diuersa est Theologorum opinio. Scot. nanque & Petrus de Pal. in 4. distinctio. 38. putant eandem vim habere simplex & solenne votum quo ad Deum, ac per hoc nullum, ex natura sua dirimit matrimonium contractum. potestque eorum positio fundari super hoc quod si solenne votum ex natura sua dirimeret matrimonium post contractum, nullo casu posset dispensari. S. Th. autem & Ricardus. vbi supra tenent votum solenne dirimere ex propria natura matrimonium ea ratione, quia ponit ipsum Deum, seu ecclesiam in possessione proprii corporis. Addit tamen in 2.2. S. Tho. 88. aliam rationem ex parte consecrationis, quia, si quod semel sanctificatum est Deo non potest in alios usus conuerti. Nec valet responsio Scoti ad primam rationem, soluens eam per interemptionem, dicendo quod non plus ponit in possessione votum solenne quam simplex, eo quod nihil intrinsecum voto habet solenne, quo careat simplex, ut patet in actu interiori voluntatis cuius est vouere. Haec inquam derisio derisibilis est, quoniam manifeste patet, quod vouens uotum solenne non solum promittit, sed mutat de facto statum, ac per hoc vouens solenniter ut sic, acceptat interiori actu mutationem status, promittens viuere de cetero in illo, &c.

Videtur

Videtur autem mihi rationabilior via S. Tho. si tamen recte intelligatur. Puto enim quod ad inerte eius, & secundum veritatem distinguendum sit cum ipso in Secunda secunde, ubi supra quod solemne votum est duplex. Quodam per se solemne, ut professio religiosorum, & quodam per accidens solemne, ut votum castitatis annexum ordini sacro. Est autem ratio huius differentiae, quia solennitas siue consistat in exhibitione, siue in consecratione, per accidens coniungitur voto suscipientis ordinem sacrum. Quoniam talis exhibet seipsum, & consecratur non ad castitatem sed ad actus ordinis. Religiosus vero benedicitur, & exhibet se ad religionis statum, qui importat per se negationem propriae voluntatis, corporis & bonorum. Hac vero distinctione stare duas dico propositiones. Altera est, quod votum annexum ordini sacro, per se non dirimit matrimonium contractum, & ratio est, quia est solemne per accidens. Nec est per accidens sit ibi exhibitio corporis, propter aliquod repugnans matrimonio, sed promissio tamen ut patet in c. nullum. dist. 28. Altera est, quod votum religionis per se dirimit matrimonium contractum, tum quia in eo sit exhibitio corporis ad statum repugnantem matrimonio, tum quia tanta vis est, ut soluat matrimonium prius legitime contractum & non consummatum, non ex statuto ecclesiae, sed ex propria natura. Et hanc rationem bene notabis contra Doct. discrepantes a S. Th. ipsimet. n. utunt voto professionis quia morte civili, cum ad matrimonium prius contractum disputatio trahitur, cum vero ad se quens matrimonium dirimendum sermo conuertitur, dicitur professionem non plus efficaciam habere, quam votum simplex, manifeste insinuantes viris doctis doctrina sua ruinosum fundamentum. Eadem si quidem ratione & efficaciam, quia professionem votum dirimit prius contractum, eadem dirimit post contractum, imo minor vis requiritur ad dirimendum consequens matrimonium, quam antecedens, ut patet in ordine sacro dirimere consequens matrimonium & non antecedens. Non enim post contractum matrimonium per verba de praesenti, si quis iniura vel coactione sponsa sacerdos fiat, propterea solum est matrimonium, sed illa non potest alteri nubere cum tamen constet, quod si religiosus fuisset factus, soluta esset a vinculo coniugali. Nec obstat, quod in li. 6. de voto & voti redempt. dicitur quod solennitas voti per solam ecclesiae constitutionem est adinuenta. Hoc enim verum est quemadmodum est consecratio calicis per solam ecclesiae constitutionem adinuenta est. Cum hoc nanque stat quod quemadmodum nec consecratio calicis in solo ecclesiae statuto consistit sed in diuina benedictione, ita solennitas quoque voti in diuina benedictione consistit, ut in 2. 2. q. 88. dicitur iuxta illud Num. 6. Inuocabit nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis. Et rursum, sicut calix iam consecratus ex propria natura repugnat profanis vsibus, sic professus solenniter, ex propria natura repugnat proprietati rerum, & actibus venereis, & ceteris.

Cum his tamen teneo, quod apud S. Th. potest ecclesia dispensare in utroque voto, si religionis & ordinis pro aliqua maxima necessitate. Et quod ecclesia quidem possit, nolo aliter probare, quam ex facto, quia scilicet summi Pont. Regem aragonum (ut per de Palu. refert) dispensauit, imo copulit, ut religione dimissa uxorem duceret, & cetera propter regni utilitatem dispositionem. quod autem hoc sit de mente S. Th. manifeste concipi potest ex initio & fundamento positionis suae in contrarium in secunda secunde, loco allegato.

Ibi siquidem volens concludere, quod papa non potest dispensare cum religioso, pro radice positionis assumit auctoritatem Decretalis, dicens. Sed quia Decretalis, cum ad monasterium manifeste dicit, & cetera. & deinde ut conformaret se Decretali, adinuenit illam adaptationem de consecratione, ut ibi patet. Ex quibus omni passione semota, quilibet perspicacis ingenij elicere potest, quod si tempore suo summus pontifex dixisset oppositum verbo vel facto (ut postmodum fecit) quod ipse quoque accommodasset rationem in obedientiam sedis apostolicae. Et propterea illa opinio non est sua, nisi pro quanto sustinetur ab illa Decretali.

Potest igitur ad rationes supra tactas, quae videntur concludere in dispensabilitate voti solennis religionis responderi. Et ad illam quidem de consecratione, potest cum aliis dici, quod semel sanctificatum Deo, non potest in alios vsus profane conuertere, sed bene in magna necessitatis articulo. Licet siquidem bibere in calice consecrato, ubi aliquis non possit aliter bibere, & cetera.

Ad aliam vero de exhibitioe, eodem modo dici potest, quod quauis res alteri tradita dono, non possit regulariter ab eo auferri potest in casu necessitatis, quo ablatio esset magis utilis, quam possessio propter commune bonum, quod praeminet bono particulari.

Ad aliam vero, quae adducta est pro fundamentis positionis aliorum doctorum, dici potest, quod magna differentia est inter aliquid esse per se tale, & posse per se tale quid. Quod enim est per se tale, nullo casu, nullaque dispensatione potest non esse tale, sed quod potest per se in aliquid, contingit impediri, ut effectum intentum non producat, ut patet in agentibus naturalibus. Dico ergo in proposito, quod votum religionis est potens per se in hunc effectum, id est dirimere matrimonium sequens, contingit tamen (& hoc rarissime) ut intentum effectum non habeat propter concurrens alterius causa, scilicet ecclesiae auctoritatis, & publicae utilitatis non parua. Haec de secundo.

Quo ad tertium (scilicet de ecclesiae statuto) contractum, quod hodie ex ecclesiastico statuto tam ordo Sacer. quam votum professionis in aliqua approbata religione, impedit matrimonium contrahendum, atque dirimit contractum. Et quoniam ordo Sacer. non dirimit post contractum ex natura sua, nec ex natura voti impliciti (quia non est solemne nisi per accidens, ut patet ex dictis) sed ex statuto ecclesiastico, idcirco cum summus pontifex possit ad libitum relaxare statuti vinculum, sequitur necessario, quod si Sacerdos Occidentalis contrahat matrimonium de licentia summi pontif. absque vlla rationabili causa, quod matrimonium ipsum est vere matrimonium, & contrahentes sunt vere coniuges, & proles est vere legitima. Quamuis contrahendo tale matrimonium sic peccet mortaliter uterque contrahens, contra votum castitatis agens absque rationabili, aut dubia saltem causa licentiam, & consequenter nec ipse pontif. a mortali excusaretur, sed si causa rationabilis dispensandi in voto castitatis absit, contrahens dispensatus tute contrahit, ac contracto vitur. Et hinc patet, quod cum rationabilis causa dispensandi in voto castitatis possit esse non sola utilitas publica civilis aut ecclesiastica, sed aliqua aliud maius bonum nunc & hic, & ab hoc, & cetera, quam seruata castitas, consequens est quod summus pontifex non solum potest, sed etiam salua conscientia potest dispensare cum Sacerdote Occidentali, quod contrahit etiam cessante causa publica utilitatis.

Et

Et propterea sumptuosa fuit quorundam determi-
natio dicens absolute, quod absque tali causa papa
non potest. Cum tamen, ut ostendimus, papa absque
causa vlla possit peccando tamen, & cum causa rati-
onabili quacunq; absque peccata, & vtrouique
matrimonium est validum. Romae die 12. Apr. 1505.

TRACTATUS VIGESIMVS OCTAVVS.
De Matrimonio, vnica quaestione contentus.

QVAESTIO VNICA.

*Num matrimonium legitime contractum inter Christianos
per verba de presenti, possit ante carnalem copu-
lam diuina auctoritate Papae absque
religionis ingressu.*



Varitur, vtrum matrimonium legitime
contractum inter christianos per verba
de presenti, possit ante carnalem copu-
lam diuina auctoritate papae absque re-
ligionis ingressu. Et arguitur quod no.

Primò, ex ipsius natura, quandocumque est aliqua
res transiens, ad cuius positionem per se ponitur ali-
quid concomitans, impossibile est poni rem illam
transeuntem, & non poni illud concomitans, quia
quod conuenit alicui per se, conuenit necessario &
inseparabiliter. Sed sacramento matrimonij coniu-
gitur in diuisibilitas & inseparabilitas personarum,
qua fiunt coniuges, quod probatur, quia hoc po-
nitur in diffinitione matrimonij. Ergo si matrimo-
nium positum est actu, & transit, impossibile est quod
rester inseparabilitas. sed nulla dispensatio potest
super impossibile, ergo.

Secundò ex parte institutionis. Matrimonium est
de iure diuino, ut pote institutum à Deo in paradiso
(dicente, crecite, & multiplicamini) secundum
quod est officium naturae, & à Christo, in quod est
sacramentum ecclesiae sicut cetera sacramenta, vnde
Mat. 20. dicitur. Quos Deus coniunxit, homo non
separet, & ad Eph. 5. sacramentum magnū in christo
& ecclesia. papa autem non potest supra ius di-
uinum, ergo.

Tertiò ex parte ipsius sacramenti, Non minoris
efficaciae est sanctificatio veri sacramenti sanctifica-
tione consecrationis ecclesiasticae. Sed res consecrata,
puta calix non potest dispensatione papae definire
esse consecratus, quandiu est calix, ergo vir & mul-
lier sanctificati coniuges ipso sacramento matrimo-
nii, non possunt quandiu viuunt definire esse con-
iuges. Et confirmatur quia sicut papa non potest fa-
cere, quod hostia semel consecrata desinat esse conse-
crata, ita non potest facere, quod vinculum matrimo-
nii semel contractum desinat esse inter personas, in-
ter quas est contractum.

Quartò ex parte talis sacramenti, Matrimonium
in quantum sacramentum significat coniunctionem
spiritualē Christi & ecclesiae, ut patet per magistrū
sent. in 4. dist. 26. Sed coniunctio spiritualis inter
Christum & ecclesiam est inseparabilis, quoniam scri-
ptum est Mat. vlti. Ecce ego uobiscum sum omnibus
diebus usque ad consummationem seculi. Ergo ma-
trimonium in quantum sacramentum, est insepara-
bile. Et confirmatur haec ratio auctoritate San. Tho.
in 4. dist. 33. q. 2. art. 1. ad tertium, dicentis, quod matri-
monium ex quo institutum est ut sit sacramentum,
est indispensabile, nisi forte à Deo. Et confirmatur,
quia tria sunt bona matrimonii fides, & proles &
sacramentum, id est indiuisibilitas.

A Quintò ex auctoritate. Quia ista videtur comu-
nis sententia Theologorum.

In oppositum est auctoritas Canonistarū, ut pa-
tet in c. ex publico. de conuersione coniugatorum.

In hac dubitatione intendo Theologaliter veri-
tatem inquirere & concludere praecipue secundum
doctrinam S. Thom. vnde tria agenda sunt. Primò
ostenditur in quo stat ratio ambiguitatis. Secundò
ipsa ratio tractabitur. Tertio satisfiet oppositis.

Quo ad primum, sciendum est, quod cum matrimo-
nium dupliciter consideretur, scilicet ut est officium
naturae, & ut est sacramentum ecclesiae (si attenda-
mus in omnibus & singulis conditionibus, quas ha-
bet, secundum quod est naturae officium, quaestio haec
clara est, quia constat matrimonium esse dissolubi-
le et post consummationem, ut patet de coniugio
infidelium. Vnde a praesenti disputatione reseranda
sunt quaecumque spectant ad matrimonium, inquan-
tum est naturae officium. Et propterea rationes om-
nes ex institutione in paradiso, & ex traditione mu-
tuae potestatis in corpus propriū, & ex commixtione
carnali, & inseparabilitate his annexa, non conueni-
unt intellectum ad confitendum indispensabil-
tatem, haec enim omnia ad matrimonium, secur-
dum quod est naturae officium, spectant, & de natu-
rae iure sunt, recipere tamen dispensationem in ali-
quo casu patet, & 1. ad Cor. 2. & a S. Tho. in 3. distin.
33. quaest. 2. art. 1. & 2. Si vero consideremus matri-
monium, secundum quod est ecclesiae sacramentum, tunc di-
stinguere oportet singulas eius conditiones. Sunt au-
tem haec quatuor, scilicet sacramentum tantum, res & sa-
cramentum, res tantum significata & contenta, & res
significata & non contenta, ut patet ex 4. sent. sacra-
mentum tantum vocatur actus sensibiles, quibus
contrahitur matrimonium, non absolute (sic enim
spectant ad naturae officium) sed ex diuina institu-
tione signum & causa sunt inuisibilis gratiae. Res &
sacramentum vocatur ipsum vinculum coniugij, non
absolute, (quoniam sic spectat ad naturae officium)
sed ut ex institutione significat aliquid sanctum (pu-
ta coniunctionem spiritualem inter Deum, & ani-
mam) & disponit ad gratiam. Res tamen significata quod
contenta, est gratia gratum faciens, quae in hoc sacra-
mento confertur ad sancte posse uti coniugio. Res
autem significata & non contenta triplex assignat,
scilicet coniunctio spiritualis per charitatem inter
Deum & animam, & coniunctio et per charitatem inter
Christum & ecclesiam, & coniunctio per unionem
personalem inter verbum & humanam naturam,
quae vocatur conformitas in natura Christi ad eccle-
siam. Si igitur ex nullo horum habetur indispensa-
bilis, dissolubile erit: si autem ex his habetur in-
separabilitas, dispensari non potest. Si diligenter
autem inspiciamus, nihil inuenitur in omnibus his
supra ea, quae ad naturae officium spectant, nisi signum
& signatum, & causa & causatum: haec enim tantum
addit sacramenti ratio supra naturae officium. Et ex
parte quidem causae & causati, manifestè patet non
haberi omnimodam inseparabilitatem matrimo-
nii; quoniam nihil in hoc sacramento causatur in-
delebile, cum non imprimat characterem, sed sit
iterabile etiam viuentibus coniugibus, ut patet si
alter religionem profiteatur: gratia quoque hic cau-
sata amitti potest, imò quadoque fit sacramentum
hoc sine gratia, cum scilicet celebratur in peccato
mortali in contrito. ex ratione igitur signi & signa-
ri oportet inseparabilitatem haec esse, si ex sacramen-
ti vi sit, et si quidem sacramentum hoc, primo signi-
ficatum habet inseparabile, oportet inseparabilitatem

C

D

E